



FRATER FRANCISCUS A CASTELLONE FRATRUM CAPUCINORUM  
PROVINCIALIS.

P. F. FRANCISCUS A CASTELLONE, Sacerdos, inter Neapolitanæ Provinciæ Patres zelo, prudentia, omnique virtutum genere ornatissimus, sic eam per novem annorum spatium administravit, ut nihil, quod ad veri Pastoris officium spectat, unquam prætermisisset; Charitate tamen, quæ potissima virtus est, ita præcelluit, ut, magna annonæ penuria totum Beneventanum agrum occupante, fabarum sextarium, qui in Conventu ibidem, cui præerat, asservabatur, in pauperum alimoniam infundi iussit: ex quo, cum quotidie quantum mediocris olla capere sufficit, unius mensis spatio, pauperibus erogatum fuisset, haud tamen fabarum sextarius minui visus. Appropinquante vero sacro Dominici Natalis die, biduo, vel triduo ante solemnitatem, tam copiosa e nubibus nix decidit, ut iter elemosynario ad mendicationem redderetur impervium. Quamobrem, pane, ac reliqua annonâ ad Fratrum refectonem deficiente, communi consilio decretum fuit, ut ipso die Nativitatis Dominicæ familia fabis, quarum sextarius adhuc integer domi supererat, sustentaretur. At D. O. M., qui in eos liberalior esse solet, qui pauperum curam gerunt, fabas in pauperes erogatas servis suis solemniter convivio competere voluit. Matutinis namque horis, dum in Choro, Te Deum laudamus, decantatur, ex januæ tintinnabulum auditur: Janitor vero, cum lentius ad fores properaret, iterum illud validius pulsatur. Guardianus itaque jubente, ad ostium festinans, amplam in foribus corbem pane candido, ac recenti vino, optimo caelo, ac plerisque aliis dapibus instructam, linoque candidissimo operam reperit, nullis, neque hominis, neque jumenti in nive vestigiis apparentibus. Hoc charitatis spiritu, dum in Conventu

Saponariæ Guardiani, ac Magistri Novitiorum munus gereret, cœlesti quadam voce, tertio impellitur, ut Catharinam Mastro-Judicis Baronissam Vigiani ægrotantem, quæ illius summo preesentiam expetebat, inviseret. Pergit Franciscus cœlestis admonitus ad Castrum Vigiani nonnullis a Grumeto milliariis distans, ubi ægra decumbebat; dum eam igitur verbis mellis suis consolatur, cœlestemque admonitionem tertio sibi factam exponit; illa Francisci manum excolans, confestim a febre surgit incolumis. Hæc ipsa, cum litem quandam, in qua de gravi pecuniæ summa agebatur, Francisci precibus commendasset, ab eo de prospero rei eventu, & de die, qua Judicis sententia pronuncianda foret, certior redditur: quæ, cum judicio haud assignata esset, optatum exitum admirabiliorem tulit. Huic quoque Catharinæ, quæ, ob navigii tritico onusti periculum, maxime afflictabatur, ejusdem navigii intra duos dies prænuñciavit adventum, atque alia futura, quæ accidere, prædixit. Inter hæc Beatrix hujus Catharinæ nurui masculi partum, ac filii, cujus desperata salus erat, futuram incolumitatem præsignificat. Neapoli, Dianæ cuidam Moniali Capuccinæ altero oculo orbata lucem signo Crucis restituit. Mulierem quoque inter partus angustias periclitantem, eodem vivifico signo a periculo exemptam, ad foetum emittendum provocat. Plurimis denique in Novitiorum cura, ac Provinciæ administratione pie laboribus perfunctus, Neapoli mortalem corporis sarcinam deposuit, magna suæ sanctimoniam fama post se relicta; qua factum est, ut, cum Antonius a Neapoli, diuturna hydropis laborans, post ipsius obitum, ejus se habitu contexisset, præter Physicorum opinionem, ab eo morbo convalesceret. Obiit Vir Dei Anno 1608.